

S. X.

De Clausura quoad accessum Extraneorum.

Quar. 1. Quid importet de suo formali accessus ad monasteria interdictus.

Resp. Duo copulative importare, videlicet locum, ad quem fit accessus, & collocationem. Ita ex Januario de castb. reserv. ref. 29. n. 15. & Pace Jordano tom. 2. lib. 7. tit. 12. n. 57. & desumitur ex Sac. Congregationis decretis editis jussu Sixti V. anno 1590. & Urbani VIII. anno 1623. in quibus de accessu, & colloquio semper copulative fit mentio. Neque valet, quod accessus ad monasteria non prohibetur per se, sed tantum ut medium ad locutionem; unde tota ratio prohibitionis consistit formaliter in sola locutione, atque adeo, id, quod formaliter prohibetur, est sola locutio. Nam falsum est, quod accessus ad monasteria non prohibetur per se, sed tantum ut medium, quia non tam ex accessu possunt oriri verba turpia, quæ spectant ad locutionem, quam ex colloquio tactus inhonesti, qui pertinent ad accessum. Cum igitur sine Sac. Congreg. fuerit utrumque præcavere, dicendum est, utrumque per se prohibuisse; sed quia prohibuit copulative, ideo utrumque ad violandam legem, utpote pœnalem; necesse est intervenire.

Hinc est, quod qui tantum accedit, sed non loquitur, vel tantum loquitur sine accessu; non facit contra legem, nec pœnas incurrit, quia ad has contrahendas debent concurrere omnes qualitates a decretis requisitæ, c. 1. de homicidio

in 6. & notant Jo. Andreas ibid. per illum textum, Jul. Clar. lib. 3. §. fin. q. 83. n. 9. Quare locutio cum monialibus in domibus propriis non comprehenditur sub prohibitione. Diana p. 3. r. 2. ref. 48. Tambur Lexana, Jan. contra Merol. & Pasqual. in Laureo, n. 1124. Neque videtur prohibitio est interdictum scribere monialibus, non quia scribere non sit formaliter loqui, sed quia deficit ratio accessus. Ita Riccius, Barb. Jan. Tamb. & alii. E contra vero contra prohibitionem facit, qui loquitur per nuntios, & signa; quia ex una parte adest ratio accessus, & ex alia intervenit etiam locutio; nam vere explicat moniali suos internos conceptus, in qua manifestatione consistit formaliter locutio, in nullo refragante, quod talis manifestatio fiat per nuntios, non vero per verba, quia differentia se tenet penes modum, non penes substantiam. Ita Grassius, & plures alii, quos refert, & sequitur Philippin. de Privil. ignor. in Append. ad c. 4. n. 284.

Rursus non facit contra prohibitionem, qui loquitur cum moniali idiomate ab ipsa non percepto, quia deficit collocutio; non enim dicitur loqui cum moniali, sed loqui coram ipsa; nam locutio, ut sic completa, debet transmittere conceptus loquentis ad audientem, & eos illi communicare, quo secluso, non habetur formaliter locutio. Ita Merol. Pasqual. n. 1120. & Jan. qui addit, quod si quis loquatur per intermediam personam, non facit contra prohibitionem; nam tunc explicat suos conceptus alteri, & hic moniali. Hoc tamen non approbat idem Pasqual. quia si locutio esset directa ad monialem, vere ipsam alloqueretur, & sine ipsius esset communicare suos

suos sensus moniali, & solum esset facere fraudem legis, & proinde legem violare. Ita Grassi. & Lezana in *Sum. v. Moniales* 20. Quod pariter dicendum est de eo, qui loqueretur cum moniali, ipsa nihil respondente, quia finis legis est tollere commercium locutionis, quod habetur, siue monialis respondeat, siue non; secus dicendum, si monialis loqueretur, Religiosus vero nihil responderet, quia non est prohibita auditio, sed locutio. Pasqual. *l. c. n. 1123.*

Quer. 2. An alloquentes cum monialibus sine licentia peccent mortaliter.

Resp. Attentis tantum antiquis juribus, de quibus infra *q. 4.* & præcisa particulari Episcopi prohibitione, Clericos, & laicos sine justa causa, & legitima licentia semel aut iterum accedentes ad colloquendum, peccare venialiter, docent Llamas, Manuel, Navarr. & Sanch. in *sum. lib. 6. cas. n. 119.* mortaliter vero si frequentent, dummodo tamen præcesserit monitio Episcopi præceptiva, qua deficiente, sicut cessat contumacia, ita deficit etiam peccatum, nisi ex tali frequentia consurgat scandalum, aut finis aliquis turpis admisceatur, quæ circumstantiæ difficillime possunt a frequentia separari. Et ideo frequentem colloquationem adolescentis cum moniali raro a mortali excusat. Castrop. *p. 3. de vot. relig. obed. disp. 4. pun. 11. n. 9.*

Ve tum tam Clericos, quam laicos mortaliter peccare absoluit, & sine ulla distinctione sustinent Rodriq. Miranda, Bonac. *p. 3. n. 1. q. 3. de claus.* & alii. Qui a fortiori idem asserunt de Regularibus contra Bord. in *Conf. Regul. res. 7. n. 8.* Delbene *c. 1. de immun. c. 14. dub. 5. n. 25.* Si quidem Sac. Congr. prohibet tanquam aliquid grave, & imponit transgressoribus poenam valde

de

de gravem; quæ non solet imponi nisi pro peccato mortali, ut notant communiter Doctores. Unde hanc sententiam sustinent Merol Coriolan. Nald. & alii penes Pasqual. *loc. c. 1117.* Quod etiam eccle. Sac. Congr. *sub die 1. Julii 1606.* teste Duar. *l. 3. in Bulla Cœnæ §. 8. q. 2. n. 47.* Et hoc habet locum, etiam si locutio fit de rebus indifferentibus, quia finis legis est tollere commercium præsentiale propter pericula, quæ iræde oriri possunt; hoc autem commercium exercetur in quacunque locutione, de quacunque materia sit, & proinde militat semper eadem ratio finalis. Neque valet quod lex ista, ut pote fundata in præsumptione colloqui ad malum finem, & in periculis annexis tali colloquationi, cesset obligare, cessantibus periculis, & prædicta præsumptione. Lex enim semper obligat, quamvis in aliquo casu non adsit periculum, quod intendit vitare, quia non cessat finis adæquatus ipsius. Unde matrimonium clandestinum semper est invalidum, quia in modo illo contrahendi præsumitur, seu iudicatur periculum esse fraudis, esto quod in hoc, vel illo casu particulari nullum sit huiusmodi periculum; semper enim verum est dicere, talem contractum sic factum esse periculofum.

Quer. 3. An detur parvitas materiæ, seu colloquatio ad breve tempus excusans a peccato mortali.

Resp. Quamplures Doctores parti affirmativæ adherere, inter quos Grassi. & Diana. Si quidem non magis obligat lex humana, quam obliget lex divina; si igitur in transgressione legis divinæ datur parvitas materiæ excusans a mortali, debet etiam admitti in transgressione legis humanæ. Discrepant

ta.

tamen in assignando, quænam in hoc casu
 censenda sit parva materia. Grassius putat,
 traseunter monialem salutare, & parum collo-
 qui esse parvitatem materiæ. Quartus qua-
 drantem horæ. Diana spatium un us Miserere
 in materia parva constituunt. Hæc tamen
 sententia de parvitate materæ omnino est
 rejicienda, sicut eam rejecit speciali suo de-
 creto Sac. Congregatio Concilii, Clemente
 IX. approbante, estque tenoris sequentis.

Die 1. Maii 1669. Sac. Co. gr. Eminens. Ssimorum
 Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii
 Tridentini interpretum. Habita novitiæ, quod
 nonnulli Regularis absque licentiâ crates mona-
 steriorum monialium adire, & frequentare non
 dubitent, prætendentes non esse inordinatum per
 breve tempus, etiam usque ad quadrantem hora
 cum dimidio, quod honologio arenario aliquando
 metiuntur, moniales, aliasque personas intra
 clausuram existentes alloqui. Et hanc opinionem
 tanquam usam affirmant, disseminant & forsitan
 etiam evulgant, proprias graviter illaqueantes con-
 scientias, scandala confucentes, ad hujusmodi
 perniciosos errores eliminandos, opinionem prædi-
 ctam improbandam, rejiciendam, ac damnandam declaravit
 Regularis cujuscunque Ordinis, Militiæ, Societatis,
 Congregationis, & Instituti, etiam de quibus
 specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria
 monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione
 quomodolibet exempta, & etiam ipsi Regularibus
 subiecta, vel alias speciali mentione digna, absque
 legitima facultate necedunt, colloquendo etiam per
 quodcumque modicum temporis spatium cum monia-
 libus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccate
 mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis
 vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regu-
 lares

lares accedentes sine licentiâ ad monasteria mo-
 nialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario,
 tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri. Et
 die 7. Junii ejusdem anni facta relatione SS. Domi-
 no Nostro, Sanctissimas suas præsentem declarationem
 approbavit, ac typis dari, servarique jussit.

Non desunt, tamen Doctores aliqui recentio-
 res, inter quos Amænus, oppositum docentes
 etiam post dictam declarationem, moti hæc rati-
 one, quod, cum finis legis colloquium prohibi-
 tentis sit pericula, & scandala præcavere, ut
 clare desumitur ex illis verbis scandala, confu-
 ventes, tunc solummodo colloquium, etiam
 intra modicum temporis spatium, erit prohibi-
 tum sub gravi, quando graviter adversatur
 fini intento a lege, atque adeo tunc solummodo
 erit peccatum mortale quando connecte-
 tur cum periculis, & scandalis, quæ ex ipso,
 etiam intra modicum tempus, possunt oriri.

Totum hoc confirmat paritate rationis. Nam
 quando lex prohibet accedere noctu cum armis
 per civitatem non prohibetur incessio noctu præ-
 cise, sed incessio cum armorum delatione conjun-
 cta, quia sub illa tantum ratione adversatur fi-
 ni intento a lege; ergo pariter quando prohibe-
 tur collocutio etiam ad modicum tempus, non
 prohibetur collocutio præcise, sed quatenus con-
 necitur cum periculis, & scandalis, quia sub hac
 tantum ratione adversatur graviter fini legis.

At prædicti Doctores nullatenus sunt audiendi.
 Cum enim Sac. Congregatio in alijs decla-
 rationibus, præcipue in declaratione infra refe-
 renda, declaraverit, Regularibus pro munere
 prædicationis obeundo missis ad crates prohibi-
 tum esse sub mortali, nec non censuris, & pœ-
 nis, immediate post cum monialibus immi-
 scere

scere sermones cum quaestionibus, & dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis, in quibus nulla ratio scandali, aut periculi reperitur, signum est, quod collocutio non est prohibita tantummodo ex suppositione periculi, vel scandali, sed absolute, quia lex intendit omnino tollere commercium presentiale, quod per quamcunque collocutionem etiam ad modicum temporis spatium exercetur. Tum quia non spectatur, quale scandalum, aut periculum sequatur, uno contraveniente; sed quale si a multis, & communiter fiat. Sanch. in Sum. lib. 1. c. 4. n. 8.

Quar. 4. Quo iure five saecularibus, five Regularibus prohibeatur accessus ad monasteria monialium.

Resp. Esse prohibitum iure antiquo Cap. Monasteria de vita, & honest. Cleric. & cap. periculoso de statu Regular. in 6. Idem specialiter prohibetur Religiosis Cap. definitivimus 18. q. 2. & extant duo decreta, unum sub Sixto V. Nonis Maji 1590 alterum sub Urbano VIII. duodecimo Kal. Decemb. 1623. Advertendum tamen est, quod prohibitio colloquendi moniales non selet comprehendere saeculares conjunctos in primo, vel secundo gradu, Perusina 18. Januarii 1618. Metropolitana 6. Maji 1625. excepto casu, in quo ex constitutionibus monasterii, vel speciali Episcopo decreto prohiberentur etiam conjuncti in primo gradu moniales alloqui sine licentia, quae tamen, nisi aliud obstat, ipsi concedi debet ad annum pro alloquendis monialibus sibi conjunctis semel in mense, Verulana 10. Februarii 1559. Concessa licentia semel in mense, non est necesse, quod inter unam, & aliam visitationem transeat mensis integer, sed poterit accedere v. gr. die 27. Aprilis, & inde die secunda Maji, dummodo

mado nec in Aprili, nec in Majo, alia vice accedat. Sanch.

Quar. 5. An prohibitio alloquendi moniales extendatur ad Abbatissam.

Resp. Doctores aliquos negare. Ita Lezana, Tamb. Januar. & Zambel. poenes Pasqual. loc. cit. Cum enim sit lex odiosa, nomine monialium non venit Abbatissa, & quidem rationabiliter; quia, cum Abbatissa sit persona gravis, provecta aetatis, & probatae vitae, cessant quoad ipsam illa pericula, propter quae est facta prohibitio. Oppositum tamen tenendum cum Merol-Megatio, & Squillanr. praecipue ob decretum supracitatum Sixti V. in quo prohibetur allocutio non solum cum monialibus, sed etiam cum qualibet alia persona intra claustra degente. Dicitio qualibet est universalis, & omnes comprehendit, etiam illos qui alias non comprehenderentur, ut per Seraph. dec. 980. n. 8. & censuit Rota divers. dec. 791. n. 10. p. 1. etiam in materia odiosa, & stricte interpretanda, Calder. conf. 1. de consang. & affin. Aym. conf. 118. n. 12. Rota divers. dec. 233. n. 9. & 28. p. 1. Consequenter comprehenditur etiam Abbatissa. Quod expressus habetur ex Constitutione Alex. VII. Sacrosancti, in qua aperte declarat, quod sub nomine monialium in hac materia locutionis veniunt Abbatissa, Priorissa, aut Officiales monasterii.

Nec subsistit responsio Potestatis. in exam. confess. 1. 1. p. 2. n. 1477. scilicet, quod dicta Constitutio utpote edita pro quiete monialium Urbis, prohibet tantum allocutionem cum Abbatissis, Priorissis, & officialibus monasteriorum ejusdem Urbis, extra quam non est extendenda, cum sit odiosa. Nam respondetur, quod, licet specialiter dispensat

Confess. Monial. N nat

nar de monialibus Urbis, attamen, quia materia de qua, scilicet collocutio, & finis ob quam disponit, scilicet quies monialium, est communis tam monialibus Urbis, quam extra Urbem, utraque comprehendit. Nam communitas materiae, & ratio legis facit, quod dispositio specialis efficiatur generalis, l. regula, §. si quis, ff. de jur. & sac. & fac. ignor. & notant Bart. *ibid.* Alex. in l. si pup. ff. de verb. oblig. Dec. conf. 431. in fin. Crav. conf. 273. n. 3. Surd. conf. 53. n. 6. etiam in odiosis, & poenalibus per extensionem comprehensivam, ut docent Imol. in c. 1. de temp. ord. in 6. Gem. *ibid.* Panorm. in c. fin. n. 10. de rescript. & alii apud Sanch. de matr. lib. 3. disp. 42. n. 4.

Quar. 6. An dicta prohibitio afficiat Episcopos extra suam diocesim commorantes.

Resp. Si loquamur de prohibitione facta in Const. Bonifacii VIII. relata in c. periculoso, & innovata per Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. dicendum est, afficere etiam Episcopos, & Prælatos, immo etiam Cardinales, extra diocesim commorantes, ut probat Donatus in Praxi c. 4. trakt. 5. q. 21. & 24. ubi tamen suadit, quod prædicti loquendo cum monialibus sine licentia, ex tacita, seu præsumpta licentia Ordinarii scientis, & non contradicentis, possunt excusari. Si vero loquamur de prohibitione Ordinarii contra alloquentes cum monialibus subjectis, non subijci tali prohibitioni, neque poenis in ipsa contentis, defendunt Grass. & Diana, quia dicti Episcopi, & Prælati sunt exempti ab omni jurisdictione Episcopi loci, ad quem divertunt. Nihilominus probabilius est oppositum, tutius in conscientia, & in praxi servandum. Ita Doctores relati, & approbati a

Phi-

Philippin. de Priv. ignor. in append. c. 4. n. 269. Quia Episcopus, & Archiepiscopus in alieno territorio censentur ut privatæ personæ, ex Panor. Anchar. Hostien. & aliis; unde tenentur, sicut quælibet alia persona, locorum leges servare, & sic tenentur ad jejunia, ac festa, aliaque omnia pro bono communi, & salute animarum ab aliis Episcopis in eorum diocesisus indicta. Præterquam quod Episcopus dicecesanus in casibus concernentibus monialium clausuram quoad personas exemptas, procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus, unde ejus auctoritas extenditur ad omnes personas quovis titulo in sua diocesi repertas. Quod authenticè fuit declaratum a S. Congr. in Baren. 20. Maii 1619. quam declarationem per extensum refert Navar. Sum Bull. p. 1. com. 43. n. 10.

Quar. 7. An Prælati Regulares tuta conscientia possint accedere ad loquendum cum monialibus, etiam non subditis.

Resp. Affirmativam sententiam sustineri ab Antonio a Spiritu S. in direct. reg. ar. 4. disp. 4. sess. 1. n. 20. hac ratione, quod talis accessus nullibi est prohibitus Prælati Regularibus; nam neque Cap. periculoso de statu reg. in 6. neque Trid. sess. 25. c. 5. de reg. neque Decretum Sixti V. loquuntur de Prælati, sed de religiosis particularibus. Et cap. Monaster. de vita & honest. Cler. loquitur de Clericis, quorum nomine in odiosis non veniunt Prælati. Negative tamen resolvendum, quia Prælati Regulares respectu monialium sibi non subditarum censentur ut privatæ personæ, sicut de Episcopis, & Archiepiscopis in alieno territorio supra notavimus; cadunt ergo sub prohibitione generali sicut quilibet Religiosus privatus.

N 2

Quar.

Quar. 8. An Ecclesiæ Cathedralis Canonici cum monialibus colloquentes afficiantur censuris, & aliis poenit latis ab Episcopo, si illi in edicto non sint specialiter expressi.

Resp. Videtur quod non; quia Canonici Ecclesiæ Cathedralis sunt personæ speciali nota dignæ; vocantur enim Clerici primi gradus. Innoc. in c. sedes n. 2. de rescr. & dicuntur pars corporis Episcopi, & Ecclesiæ, c. novit, & cap. quanto de his, qua fiunt a Præl. sine cons. Cap. Et in pluribus æquiparantur dignitatem obtinentibus, ut in c. statutum in princ. de rescript. in 6. Neque carent honore, & præeminentia, c. quamvis, S. quanquam de prob. lib. 6. Et proinde non comprehenduntur sub prohibitione, nisi in specie exprimantur.

Quod a fortiori procedit in Canonici Capituli exempti, ut ex Marco Vidal in *Arca vital. de monial. inquis.* 2. n. 29. ubi ex alio capite illos liberat a censurarum incurfu, videlicet ratione exemptionis a jurisdictione coercitiva Episcopi. Nam ex Trid. sess. 25. c. 6. de reform. Episcopus sine Capitulatibus adjunctis non potest juridice procedere contra Canonicos exemptos quoad poenas propter delicta infligendas.

At resolvendum affirmative; quia Canonici uti singuli sunt personæ privatæ; nec dici possunt in dignitate constituti, ut tradit Bald. in c. pastoralis sub n. 3. versic. canonica autem de offic. deleg. cum aliis adductis per Pacian, de probat. lib. 3. cap. 27. n. 101. atque adeo non sunt speciali nota digni. Et quatenus etiam tales essent, & proinde fruerentur privilegio, ut non comprehenderentur sub clausulis generalibus quantum ad odia, & rigores, adhuc in præ-

presenti dicerentur comprehensi, ut in terminis allocutionis firmat Sperel. dec. 21. n. 58. Quia, quoties agitur de animarum præjudicio, etiam in poenalibus, & odiosis admittitur extensio. Panorm. in c. ex tenore n. 6. Jas. Cravet. Rota, Quaranta, & alii relati a Sperel. loc. cit. Et quia Episcopus, ut supra innumis in hac materia procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus, omnes sibi subijcit, etiam privilegiatos, & exemptos.

Quar. 9. An in illis diocæsis, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione Ordinario reservata, pueri, & puellæ impuberes tali poena afficiantur.

Resp. Affirmat Grassius, dummodo sint dollari capaces; quia sicut possunt mortaliter peccare, sic etiam possunt censura puniri, quæ ferrur in poenam delicti. Negant probabilius Bonacina, Diana, & alii, quia respectu eorum, qui annos pubertatis nondum attingunt, cessat causa finalis prohibitionis, quæ est, ut vitetur occasio luxuriandi, quod non potest habere locum in impuberibus, ut expresse colligitur ex cap. Pueris 1. de delict. puer. An autem pueri in dubio, an ætatem expleverint, peccent colloquendo cum monialibus, & excommunicatione ligentur, negant Diana, & Quartus, quia in dubio melior est possidentis conditio, pro libertate autem pueri stat possessio.

Quar. 10. An Advenæ, & Peregrini ligentur excommunicatione lata ab Ordinario contra hujusmodi alloquentes.

Resp. Negant Diana, Januarius, & Delbene, quia Peregrini, & Advenæ non subijciuntur jurisdictioni, & legibus loci, in quibus reperiantur, & per quem transeunt,

quod patet ex Cap. a nobis. 1. de sent. excom. ubi habetur, exteros furantes in diocesi, in qua furtum est prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto &c. in hanc non incidere, cum non fiat de iurisdictione Episcopi excommunicantis. Distinguit Donatus in Praxi tom. 4. tit. de access. ad Mon. tr. 6. q. 22. n. 8. & admittit hanc opinionem quoad monasteria immediate Episcopo subiecta, non vero quoad exempta; quia quoad prima Episcopus procedit potestate ordinaria, cui non subduntur Advenæ, & Peregrini; quoad secunda vero procedit auctoritate Apostolica delegata, secundum quam sibi subijcit etiam Advenas, & Peregrinos, quia edicta condita ab Episcopo cum tali facultate censentur condita ab ipso Pontifice, cui omnes Christi fideles in his, quæ spectant ad bonum animæ, tenentur ubique obedire. Ego absolute, & sine limitatione censeo, Advenas, & Peregrinos ligari excommunicatione lata ab Ordinario contra hujusmodi alloquentes, sive in monasteriis exemptis, ob rationes adductas a Donato, sive in immediate subiectis, quia Episcopus non tantum procedit auctoritate Apostolica delegata quoad loca, sed etiam quoad personas, ut patet ex declaratione S. Congr. in Baren. 10. Maii, superius adducta. Unde ratione talis potestatis subijcit sibi personas independentem a loco, & per consequens ligantur excommunicatione. Adde, quod etiam si non recurratur ad potestatem delegatam, Peregrini, & Advenæ subduntur legibus loci, ut habetur in caps. consilium de obser. jejuni & Gl. ibi, & docent Pontius, & Meroll. Molfesius, alique permulti.

Quar. 11. An afficiantur suprascripta excommunicatione

municatione sæculares colloquentes cum monialibus exemptis.

Resp. Visum est aliquibus, non affici, quia locus exemptus, & locus extra diocesim æquiparantur. Nihilominus oppositum astringendum; sive in edicto fiat mentio de monasteriis exemptis, ut tenent Rolland, Genuen. & Belloch, sive nulla fiat mentio, ut tenet Bariola. Quia, ut diximus in Superiori responsione, Episcopus in ordine ad clausuram exemptarum procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus. Vide Dianam p. 10. tr. 14. res. 50. ubi utranque sententiam vocat probabilem; at verior est secunda, quod novissime declaravit Sac. Congr. in Urbinas. die 10. Maji 1663. & in Viterbien. quam referemus in responsione sequenti.

Quar. 12. An Regulares, & moniales exemptæ, si de ipsis mentio fiat, afficiantur censuris, & pœnis ab Episcopo indictis contra alloquentes sine licentia.

Resp. Affici; habetur in Viterb. die 26. Junii 1627. his verbis: *Sacra Congreg. &c. sapius censuit, Episcopum ad clausuram custodiendam etiam in monasteriis Regularibus subiectis posse excommunicationis lata sententia pœnam sibi reservata imponere circa aperitionem ostii clausura extra casus indigentia, nec non circa accessus, & colloquia cum monialibus, ac dictam excommunicationem ligare ne dum Regulares accedentes, verum etiam moniales, si de ipsis mentio fiat, adeo ut Superior Regularis ab eadem excommunicatione absolvere nequeat.* Cap. Monasteria de vita, & bon. cler. Limitant hanc responsionem Sanch. Barb. & Tamb. disp. 25. q. 9. & volunt, affici Regulares exemptos, sed non privilegiatos; non vero exemptos simul, & privilegiatos; &

pro hujus distinctionis fundamento asserunt quendam declarationem Sac. Congr. 9. Aprilis 1583. quæ sic habet: *Regulares adeantes monasteria monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi habeant ex privilegio, quod non possint excommunicari, & tunc debent puniri a Superioribus alia pœna.*

Quar. 13. An eadem censura afficiatur, qui consultit, vel cooperatur, ut jubet alterius accessum.

Resp. Negative; quia pœna lata est contra accedentes, & cum simus in odiosis, non est extendenda ad consulentes &c. Famulus tamen missus, quia proprie accedit, censuram incurrit, nisi forte ipsi imminet grave damnum, si non obtemperet domino præcipienti, quia in tali casu ratione metuscaderitis in constantem virum non incideret in excommunicationem, quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto rigore; non tamen excusaretur a culpa contra jus naturale. Ita Diana, & Delbene r. 2. c. 14. dub. 5. sect. 3. n. 4. ubi concludit quod fortasse esset absolvendus ad cautelam.

Quar. 14. An dicta censura afficiantur pauperes ostiatim mendicantes accedentes ad moniales causa quærendi eleemosynam.

Resp. Non affici, quia rationabiliter præsumi potest Ordinariorum licentia, cum in tali casu non militent rationes, ob quas indicta est præfata prohibitio. Et ob hanc rationem excusari fortasse possunt famuli, & famulæ accedentes ad moniales, ut ipsis defertant sanguineorum munuscula, maxime quoad illa monasteria, in quibus non perfe-

te servatur vita communis, cum enim dictæ moniales multis indigeant, opus illis est extra quærere, & recipere, quod tam frequenter habere non possunt per proprios infervientes; unde præsumendum est, Prælato tacite consentire, quod per externos hoc præstetur. Attamen inspicienda est cujuscunque loci consuetudo, & servanda.

Quar. 15. Ad quem spectet concedere licentiam accedendi ad moniales tam exemptas, quam non exemptas.

Resp. Videantur quæ diximus supra hoc capite §. 2. q. 1. ubi etiam disseruimus, an licentia indefinite concessa extinguatur prima vice q. 8. Non esse hanc licentiam alloquendi de necessitate in scriptis concedendam, asserunt Doctores, quos citat, & sequitur Diana p. 3. tract. 3. res. 129. oppositum sentiunt Suar. & Sanchez.

Quar. 16. An Episcopi possint prædictam licentiam Regularibus concedere.

Resp. Posse Episcopos concedere Regularibus, ut quater ad summum in anno alloqui possint moniales consanguineas in primo, & secundo tantum gradu. Sac. Congr. anno 1623. Urbano VIII. annuente, cum his tamen limitationibus, scilicet, quod non alloquantur in Festis, Adventu, Quadragesima, Feria sexta, Sabbato, & Vigiliis, præsertim Confessione, dataque licentia pro die, & hora, quæ in lbris Episcopi notentur. Nomine festivorum dierum veniunt Dominicæ, & alia festa ex præcepto abstinendi a servilibus, & non alia. Sub nomine Vigiliarum veniunt etiam Quatuor tempora; ita Diana contra Bord. Sub nomine Adventus venit Romanus, non Ambrosianus. Quadragesima vero incidit a die

cinerum. Sub nomine Religiosi, cui Episcopus non potest concedere facultatem alloquendi nisi quater in anno, non venit Novitius, quia in odiosis habetur ad instar secularis. Portel. & Squillante apud Cassian. ut Colloqui. n. 13.

Quar. 17. An Episcopus denegare possit licentiam, quam concedere potest Regularibus juxta formam supradicti decreti.

Resp. Posse, ex Bordon. in Miscell. dec. 222. Ducitur, quia in dicto decreto dicitur, quod Episcopi possint, non vero quod debeant. Verbum autem possint importat actum voluntarium, non necessitatis, Bart. in l. Gallus, ff. de liber. & possib. n. 4. Negat Pasqual. loc. c. n. 2144. posse Episcopum licentiam sine causa denegare, quia agitur de gratia solita concedi; gratia autem concedi solita non potest sine injuria denegari, arg. ex l. i. §. pen. de aqua quot. & notant Bart. Gabriel. Puteus. Concludit tamen, ex causa rationabili posse denegare, & subdit ex Bordon. cit. quod si urgeat aliqua necessitas alloquendi monialem nullo gradu conjunctam, ut esset celebratio alicujus contractus, ut alia similis, potest Ordinarius concedere licentiam toties, quoties necessitas urgebit, quia non prohibetur collocutio necessaria, sed tantum vitiosa, ut colligitur ex cap. Monast. de honest. Cler.

Quar. 18. An Regularis habens licentiam alloquendi monialem pro certa die, si alloquatur alia die a praescripta, peccet mortaliter, & incidat in penas decreti.

Resp. Bord. Pasq. & Dianam c. 9. tr. 7. ref. 33. excusare a peccato, quia manet licentia quoad substantiam, & variatur tantum quoad modum. Hinc infert. idem Dianaloc. c. ref. 34

neque peccare, si colloquatur absentibus auscultatricibus, & Confessario, quia hæ circumstantiæ sunt extrinsecæ, & secundum has non videtur decretum Urbani usu receptum. Ubi tamen hæ laudabilis viger consuetudo, omnimodo servanda.

Quar. 19. An Regularibus ex Prælati licentia missis ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis, immediate post cum ipsis monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones, cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis.

Resp. Sac. Congr. Conc. die 21. Maji 1678. respondit affirmative, tam de colloctione cum aliquibus monialibus, quam cum una tantum (omnibus tamen audientibus) immediate post concionem.

Quar. 20. An licentia concessa Regulari ad colloquendum, extendatur ad socium.

Resp. Cum Diana, Delbene, & aliis negative, contra Riccium, Tamb. & Peyr. qui partem affirmativam defendunt hac ratione, quia nimirum in connexis idem est judicium, & sic quod conceditur Regulari, concessum censetur etiam socio. Sed falluntur; quia illud principium de connexis desumptum ex c. translato, locum habet, si connexa se habeant inseparabiliter, non sic si separabiliter. Ita communiter Doctores. Regularis autem, & socius non sunt connexi in ordine ad locutionem, si quidem unus loqui potest, altero nihil loquente.

De Pœnis, quibus subjiciuntur violantes Clausuram.

Quar. 1. **Q**uas pœnas incurrant Prælati ingredentes monasteria monialium ultra casus necessitatis.

Resp. Prælati Sæculares Pontificali dignitate præditi pro prima vice incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; pro secunda contrahunt suspensionem a munere Pontificali, & a divinis; pro tertia vero vice, & deinceps afficiuntur excommunicatione nemini reservata. Prælati Regulares incurrunt excommunicationem, & simul privationem omnis officii, & ministerii, & quidem toties, quoties ultra casus necessitatis ingrediuntur, ut notat Sanch. ex motu Gregorii XIII. *sub die 23. Decemb. 1581.* Juxta Constit. vero Alexandri VII. quæ incipit *Sacrarum Virginum*, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinent, ac perpetuam inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrunt, & ab Episcopo loci tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quando, & quoties opus fuerit corrigi, & puniri valent.

Quar. 2. Quanam pœnæ impostæ sint ingredientibus clausuram sine licentia.

Resp. Per Concilium Tridentinum imposta est excommunicatio ingredientibus sine licentia in scriptis; idem dicendum de ingredientibus cum licentia vi, dolo, aut ex falsa causa impetrata. Excommunicatio hæc nemini reservatur, nisi fiat ad malum finem; nam in hoc casu reservatur Pontifici, & nemo vir-

tute

tute privilegiorum potest absolvere; prout declaravit Sac. Congr. Alia excommunicatio Papæ reservata lata est a Gregorio XIII. in sua Constit. quæ incipit *Ubigratia*, contra quasunque personas, etiam Comitissas, Marchionissas, aut Comites, Marchiones, Duces ingredienti clausuram monialium prætextu facultatum ibi revocatarum, sive tales facultates concessæ fuerint ab ipso Pontifice, sive a Legatis, sive ab Episcopis, vel aliis. Excommunicatio quoque simili tenore lata est a Paulo V. & licet hæc Constitutiones videantur loqui de ingredientibus tantum prætextu dictarum facultatum, tamen ex stylo Curie intelliguntur generaliter etiam de intrantibus sine tali prætextu. Ita Navar. Beja, Villagn. Azor. & Grass. etiam contrarium sentiant Suar. Sayrus, & Sanch.

Unde in Excommunicationem Papæ reservatam incidunt, qui sine necessaria licentia intrant in clausuram, licet id faciant propria auctoritate, & sine prætextu privilegiorum, ut declaravit Sac. Congr. Episc. in Comen. 15. Septem. 1578. & in Mediolanen. 19. Maii 1579. & etiam cum licentia in casibus non necessariis, puta ad visitandas moniales consanguineas, etiam infirmas; & illæ mulieres, seu viri, qui cum uno saxo vel ligno, vel qualibet alia re intrant sub prætextu deferendi necessaria pro fabrica, & moniales, quæ tales introducunt, 21. Junii 1583. & qui licentiam habet ingrediendi pro uno servitio, si postea intret pro alio, 6. Augusti 1601. & 14. Junii 1630 Puella vero, vel vidua, quæ temere ingreditur ad suscipiendum habitum, & Abbatissa recipiens incidunt in censuras. Hæcque debet graviter puniri, illa expelli, nec amplius admitti sine cen-

302 *De Pœnis contra violantes Claus.*
licentia speciali Sacræ Congregationis, 8. No-
vemb. 1601. & 5. Februarii 1649. Si tamen in-
gressa fuit non ad malum finem, postquam exi-
vit, absolvitur cum pœnitentia salutari absque
ulla pœna pecuniaria. 20. Novemb. 1654. In-
redientes peculiaria monasteria monialium
contrahunt etiam alias antiquiores excom-
municationes, scilicet Gregorii IX. & Euge-
nii IV. præsumentes ingredi monasteria S.
Clara; Bonifacii IX. præsumentes ingredi mo-
nasteria ordinis Prædicatorum; & Julii II.
ingredientes monasteria Conceptionis.

Quær. 3. Quibus pœnis afficiantur moniales,
seu alii exterum introductentes, vel intrare per-
mittentes in clausuram sine licentia legitima.

Resp. Nullam incurrunt excommunicatio-
nem ex vi decreti Concilii Tridentini, quia
de iis nulla est facta mentio, sed tantum de in-
trantibus. Verum ex Bulla Gregorii VIII. *Ubi*
gratia fertur excommunicatio Pape reservata,
& pœna privationis dignitatum, beneficio-
rum, officiorum, & inhabilitatis ad huiusmodi
contra Abbatissas, Abbates, Conventus, &
alios Superiores utriusque sexus monasteria-
rum, & personas quocunque nomine vocen-
tur, si quenquam prætextu licentiarum, quas
ibi revocaverat Papa, ingredi faciant, vel
permittant; & omnes istæ pœnæ sunt lætæ
sententiæ. Item ex Bulla Pauli V. *Monialium*
fertur excommunicatio Pape reservata, &
privatio officiorum, ac inhabilitas contra
monialium Abbatissas, Priorissas, & Super-
iores alias, si quenquam prætextu licentia-
rum ibi revocatarum, introducere, admitte-
re, vel admissum quocunque modo detinere
ausæ fuerint, aut præsumserint.

Quær.

Quær. 4. An dictas pœnas incurrant so-
lum Superiores viri, vel fœminæ introdu-
centes, an alia etiam persona religiosa par-
ticulares masculi, aut fœminæ.

Resp. Superiores tantum, non vero privatas
personas affici dictis pœnis, asserunt Sanchez,
Miranda, Roderic, & Dian. r. 1. ref. 33. & 34.
quia illam particulam *et personas quocunque no-
mine vocentur* in Bulla Gregorii positam, pu-
tant, intelligi de personis eorum Superiorum;
in Bulla vero Pauli solum Superiores fœminæ
exprimuntur. Nihilominus tenendum est, et-
iam moniales particulares subdi prædictis pœnis
extraneos admittendo in clausuram, patet ex mo-
tu Gregorii; nam clausulla illa *et personas quocun-
que nomine vocentur* utpote universalis compre-
hendit etiam moniales particulares, maxime
quia Pontifex in antecedentibus de Superioribus
sufficienter disposuerat. Et ita tenent Clamas
apud Sanch. & Filiucius, quam sententiam
videtur sequi Sac. Congr. in *Affissen*. 4. Augusti
1602. & in *Cremom*. 17. Septemb. ejusdem anni.

Quær. 5. Quid veniat nomine admissionis
in monasteria, ut moniales admittere præsu-
mentes, dicantur incipere in pœnas in su-
pradicto motu Gregorii inflatas.

Resp. Venire cooperationem tantum sive
directam, sive indirectam ad ingressum;
quatenus scilicet exercet actionem positi-
vum, vel negative se habet ad ingressum,
quem impedire tenentur ex officio, quia alte-
rutto modo tantum censetur admittere ad
ingressum, Suarez, Miranda, Coriolanus,
Bonacina, & alii. Ita ut monialis, si ad
ipsam non spectet impedire ex officio, v. g.
non sit Prælatæ monasterii, nec præsit por-

ta,

ta; non incurrat dictas pœnas non impediens, etiam impedire cum possit; quia in tali casu nec directe, nec indirecte censetur cooperari ad ingressum. Ita Delbene *r. 2. de immunit. c. 19. dub. 67.* ubi *n. 5.* addit, monialem confabulantem, vel concomitantem personas illicitè ingressas, non affici dictis pœnis, etiam si colloquendo sit causa, quod illa diutius immoretur; quod sustinet etiam Sanchez, quia vere non dicitur admittere ad ingressum, cum jam sint ingressæ; tamen licet non subiciatur pœnis ipsa monialis, peccat contra obligationem clausuræ. Ita Bonacina, qui censet, Prælatam, vel aliam, cui incumbit onus impediendi ingressum, subijci præfatis pœnis, non solum si sua locutione detineat diutius ingressum, verum etiam si non expellat, cum possit.

Quar. 4. Quas pœnas incurrant moniales illicitè egredientes e monasterio.

Resp. Moniales clausuram violantes, sive parum, sive multum, dummodo egressus sit completus, peccare graviter, & ipso facto contrahere excommunicationem Papæ reservatam ex Constit. Pii V. quæ incipit, *Decoris*, quam excommunicationem contrahunt etiam licentiam egressus quomodocunque concedentes aliter, quam in Constitutione permillum est. Item lata est excommunicatio adversus concomitantes, ac illarum receptatrices personas laicas, sive Ecclesiasticas, consanguineas, vel non. Insuper adversus egressas, & Superiores licentiam concedentes statuit Pontifex privationem dignitatum, officiorum, & administrationum, quæ eo tempore obtinent, redditque inhabiles ad ea, & alia in posterum obtinenda.

Quar.

Quar. 7. Quinam comitatus, & receptio necessarii sint, ut comitantes, & recipientes monialem inique egressam excommunicationis censuram incurrant.

Resp. Debere esse comitatum, vel receptionem, quæ eum egressum, vel illius perseverantiam foveant, alias non est formalis comitatus, vel receptio monialis e monasterio egressæ. Ita Delbene *loc. cit.* Quare pœnas non incurunt monialem comitantes, vel recipientes post egressum illicitum, ut ejus honori, & honestati consulant, immo ob solam urbanitatem, amicitiam, aut cognationem, dummodo non faveant illicito egressui, nec perseverantiæ in illo. Llamas, Rodriq. & alii.

Quar. 8. An prædictæ pœnæ afficiant monialem legitimo titulo egressam, sed cessante egressus causa, inique extra claustra commorantem.

Resp. Negat Sanchez *lib. 6. c. 15. n. 70.* Quia Pontifex has pœnas indixit egredientibus aliter, ac ipse disposuerat; hæc autem monialis non aliter egressa est, esto aliter post egressum commoretur. Oppositum docent Llamas, & Castropal. quia Pontifex imponens prædictas pœnas non usus est verbo *egredientes*, sed *egressas*, ut tacite innueret spectare non physicum egressum tantum; sed etiam moralem, & continuatum.

Quar. 9. Quibus pœnis afficiantur accedentes ad colloquendum cum monialibus sine licentia.

Resp. Contra laicum, & Clericum monasteria frequentantes, & præmissa Episcopi monitione ab accessu non desistentes, *in cap. monasteria, & cap. ut Clerici de vita, & honest. Cleric.*

Cleric. statuitur pœna. Ille debet excommunicari; iste vero non tantum excommunicari, sed etiam ab officio suspendi, & deponi. Contra utrunque procedere potest Episcopus, si post præmissam monitionem semel tantum accedat, quia sunt sufficienter contumaces, & semel tantum accedendo dicuntur non desistere. Bonac. *de claus.* q. 3. *part.* 4. Per quot autem actus inducatur frequentia accessus, discrepant de more Doctores. Per duas vices sustinent in terminis Cosm. & Gratian, quibus assentitur Liams, si fiant una die, vel duobus diebus continuis; negat tamen de toto mense. Per trinum accessum tribus diebus continuis frequentiam haberi defendunt Manuel, & Navarius, quibus adhæret Sanchez, qui addit, unicum etiam accessum singulis mensibus frequentiam nuncupari. Placet sententia Barbozæ *alleg.* 102. n. 70. hoc relinquendum esse prudentis arbitrio.

Contra Regulares vero ad monialium monasteria accedentes imposta est pœna privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut patet ex decretis Sac. Congr. jussu Sixti V. & Urbani VIII. editis, & ex Constitutionibus Gregorii XV. & Alexandri VII. Possunt quoque ab Episcopo excommunicari, ut ex Sac. Congreg. Decreto approbante Clemente IX. & etiam carcerari, ut tradunt Boer, & Guid. Pap. quos refert, sed impugnat Pasqual. *loc. cit.* n. 139. & prædictis pœnis subduntur Regulares etiam ob unicum accessum, quia de accedentibus, non de frequentantibus loquuntur decreta, sub quibus etiam Equites Hierosolymitani ex ejusdem Sac. Congreg. declaratione comprehenduntur.

Quar.

Quar. 10. An prædictæ pœnæ obligent in conscientia ante iudicis declarationem.

Resp. Excepta excommunicatione, alias pœnas non obligare in conscientia, affirmat Suarez. *x. 4. de relig. lib. 1. c. 7. in fin.* qui de magis communi testatur, quamvis alii doceant, pœnam inhabilitatis obligare ante declaratoriam criminis commissi, quia hæc pœna est pure privativa non requirens factum hominis positivum ad sui executionem. Cajetanus, & plures alii adducti a Sanchez *lib. 2. c. 39. n. ult.* Alii vero distinguunt; Si pœna inhabilitatis apponatur simul cum aliis pœnis, quæ non obligant in conscientia ante declaratoriam, tunc neque hæc obligabit; alias secus, si ponatur per se, vel cum aliis mere privativis. Cov. & Filiuc. Media tamen sententia ex stylo Curie magis recepta sustinet, dictam privationis officiorum pœnam obligare in conscientia, quando casus est manifestans, quia tunc Superioris acta incipiunt esse nulla cessante; at quandiu privatio est occulta, non videtur obligare in conscientia, quia ejus acta ratione publici officii sunt valida, manente titulo colorato.

Quar. 11. Quinam a prædictis censuris, & pœnis possint absolvere.

Resp. Ab excommunicatione, quam incurruntingredientes sine necessitate, & licentia in scriptis ex decreto Tridentini, cum nulli sit reservata, jure ordinario Episcopi, & Prælati suos subditos, & omnes Confessarii approbati suos poenitentes, *Cap. nuper de sent. excommun.* Ab excommunicatione vero contracta in terminis Constit. Gregorii XIII. utpote reservata Pontifici, ipse solus potest absolvere, & ejus Poenitentarii, & (si casus sit occultus) etiam Episcopi, & Prælati, qui

ha-

habent privilegium absolvendi suos subditos a casibus Papalibus occultis; Regulares quoque virtute privilegiorum suæ religionis. Limitandum tamen, nisi ingressus fuerit ad malum finem, scilicet ad malum finem luxuriæ; sic responsum Romæ, ut testatur Delbene; nam in hoc casu, licet occulto, quoad Episcopos derogatum fuisse decreto Tridentini *sess. 24. de reform. c. 6.* tradit Sanctarel *in tr. de hæresi c. 5. dub. 1. n. 1.* ubi affert decretum Sac. Congr. quæ censuit approbante Greg XIII. Bullam Pii V. etiam in occultis procedere; & oppositum sentit cum Bonacina, Delbene, qui de tali declaratione asserit, authentice non constare. Quoad Regulares vero ex decreto Sac. Congr. sub Clemente VIII. revocata sunt privilegia. Intelligunt tamen quoad poenitentes seculares tantum, non vero Regulares. Naldus *v. reservatio*, Vecchius, & Bordonus, qui quandam Sac. Congr. declarationem adducunt.

In reliquis autem casibus, & poenis inflictis, vel contra Palatos, illicite monasteria ingredientes, vel contra ceteros, de quibus dictum est supra; potest, si occultæ sint, Episcopus absolvere, & respective dispensare; hæc enim facultas ei competit quoad suos subditos ex *Trid. sess. 24. c. 1.* sicut etiam competit Superiori religionis, etiam locali, ex privilegio circa suos Religiosos, cum hic quoque circa prædictos jurisdictionem quasi Episcopalem exerceat. Non potest tamen in inhabilitatibus in foro externo dispensare, cum nullum circa hoc appareat privilegium, ut probabilius contra Rodriq. sentiunt Lezana, Peyrinus, & Bonacina; quod a fortiori tenendum est, si fuerit iudicis sententia

sub-

subsecuta. Quomodo supradicta facultas competat etiam Confessariis Regularibus, qui vigore suorum privilegiorum possunt absolvere toties quoties ab omnibus casibus, & censuris, ac poenis consurgentibus ex eis, præterquam a contentis in Bulla Coenæ, & Decreto Clementis VIII. & a specialiter reservatis ab Ordinario, videatur Delbene *t. 1. de immunit. c. 15. dub. 81. n. 3.*

Quar. 12. An contraveniens edicto Episcopi in materia clausuræ possit ab excommunicatione inflictâ, & Episcopo edicenti reservata absolvi a Metropolitanano, vel a quocunque alio Episcopo.

Resp. Quoad utrumque negative, & quidem quoad Metropolitanum, quia non est iudex, aut Ordinarius suorum suffraganeorum; ac proinde nec eos excommunicare, nec ab excommunicatione absolvere valet extraneum appellationis, ut *in capit. Romana, & cap. Venerabilibus §. excommunicatos vero*; traditurque Hostien. *in sum. lib. 5. de sent. excom. n. 2.* Astensis, Paludan. & alii, quos sequitur Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 20. n. 17.* quidquid dicat Sanch. *lib. 3. conf. cap. un. dub. 35.* Quoad alios Episcopos probatur ex regula generali, quam tradunt Doctores, quod scilicet, qui excommunicationis, aut alterius censuræ sententiam tulit, solus ipse absolvat. Quod habetur *ex cap. prudentiam §. Sexta de off. deleg.* Alioquin destrueretur disciplina Ecclesiastica, præsertim in materia clausuræ monialium peculiari juri Ordinariorum a Tridentino summopere commissarum. Et ita declaravit quo ad utrumque Sac. Congress. Concil. *in Bituntina die 13. Septemb. 1675.*

C. A.